I

IANI MALIFERI STRENA

Calendis Ianuarij anno Dom. 1617.

Authore Ioanne Leochæo Celurcano SCOTO.

Ar. Gf.
Andzew Stewart.

EDINBURGI
Excudebat THOMAS FINLASON TYPO-
graphus R. M. annº Dom. 1617.

Crescе age, perpetuâ semper florente juventa:
Educet hinc fructus mollis ut aura tuos.

BRITISH MUSEUM

REVERENDISSIMO IN CHRISTO PATRI JOANNI ARCHI-EPISCOPO ANDREAPOLITANO SCOTIAE

Primati, Sereniſſimo D. N. R. a conciliis ſanctioribus, Celeberrimæ Academiæ Andreanæ Cancellario. &c.

AUDACULUS *fortaſſe pleriſq; videbor*, (Reverendiſſime Præſul) *qui tibi cui hactenus a prima vernantis adoleſcentiæ coma, arriſerit* Phœbus, *applauſerit* Minerva, *tripudiarint* Charites, *verſiculos hoſce incultos inſipidos inlepidos pro munere & ſtrena nunc offerre audeam: quorum inſuavem harmoniam* Midę *tantummodo auribus dignam ipſe vel* Marſyas *fugiat, & quivis ex gurguſtiolo bubulcus qui tantum norit*

Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen,

procul exulare jubeat. huc accedit quod in iſta quum per-

perſæpe devolvar, non poſſim quin audaciam, impudentiam, & temeritatem meam in his tibi mittendis oppido admirer: multa enim occurrunt quæ ſi exactiore trutina perpendantur, ſtatim fuerint

Me quoq; qui ſcripſi judice digna lini.

verum iſthæc prudentia tua & benignitas facile lenierint, ſi quo œſtro quibuſve ſtimulis exſuſciter ut iſtam audaciæ impudentiæ & temeritatis maculam ſubire non renuam cognoſcas. hinc enim tua in literas & literatos benevolentia currenti calcar addebat: illinc tua erga me humanitas, & ſtudiorum hujuſce generis alumnos favor properanti habenas laxabat. De quorum numero quanvis me nolim eſſe, quod tamen potui, tibi maximo noſtræ gentis Muſarum fautori, Phœbo licet non ſatis aſpirante, JANO tamen omnino imperante, luxuriantis has ingenij mei primitias conſecro. Tu facilis arride, & ut Germanico ſuo ille

Timidæ dirige navis iter.

Quod ſi præſiteris, nec humillimi clientis tenuia hæc dona reſpueris, animos dabis ut ſub tui nominis tutela favente numine poſthac majora adgrediamur. Jm præſentiarum vero R. P. his fruere, & bene vale.

Amplitudinis V. devotiſſimus cliens
JOANNES LEOCHAEVS.

MALA
CALENDIS IANVARII
Annº Dom. 1617.

CVi procul à vulgi strepitu licet esse prophani
Dexter ad hæc venias, videor delubra Dearũ
Cernere & Aonias procul hinc audire sorores:
Ecce prius dubiæ magno conamine Musæ
In loca aperta ruunt, perq́ alti culmina Pindi,
Quaq́ sacer gemino Parnassus vertice in auras
Surgit & Æmonio properat contendere Olympo,
Ducunt insolitas Phœbo exultante choreas.
Fallor Hyantæas an tangant nostra puellas
Gaudia, & arcano rumpantur viscera motu:
Ecce etenim festæ properant in vota Calendæ
JANUS *adest; celsaq́ Deus gravitate decorus*
Imperat Aoniæ solemnia munera turbæ.
Quid faciam? quæ dona meo dabis alme Patrono
JANE *refer? bacciſne deæ quæ Cecropis arces*
Protegit, & charos tutatur cuspide muros,
Gratus eris? Paphiane placet tua tempora myrto
Cingere? an Esculeâ frontem redemire coronâ?
Anne magis celsæ quam spectant Cæsaris arces
Ante fores lauro, quâ Phœbus in arbore quondam
Squalidus inclusos gemitu testatus amores.

An de

... quâ ſacra quondam reſponſa columbæ
Multa dabant vacuas onerantes vocibus auras
Te quercus rapit, ut feſtâ te fronde coronet
Ceu quondam Auſoniam ſervato cive Iuventam?
An tibi turrigeræ Pinus gratiſſima matri
Adſtrepit? an bicolor magni magis Herculis arbor
Te vocat; & gelidà blanditur populus umbra?
Quis ſcit Idumeæ te an tangat gloria Palmæ?
Aut quas Thyrſigeris fœlix eduxit ab Indis
Liber, & ignaris monſtravit gentibus, Uvas?
Forſitan aſtutas non aſpernabere moros,
Aut Phaetonteæ miſeratus fata ruinæ
Eridani juxta ripas Clymeneidas alnos.
Quo feror? averſo ſpernit donaria vultu
Noſtra Deus, nec dignà ſuis putat iſta Calendis:
Sed vetat ire Deas, prohibetq; in limine primo
Durus ut oblatis teſtentur gaudia donis.
Ecce autem partes dum ſe mens anxia in omnes
Dividit, & quo ſe tantarum in turbine rerum
Vertat in ambiguo eſt, preſſæ Cynoſura carinæ
Fulſit, & infauſti prætervexiſſe Capharei
Saxa dedit, Lybicoq; exſtantes æquore Syrtes.
Pande fores, nunc grata tuis tibi dona Calendis
Jane fero, cultis matureſcentia in hortis
Cernere & admota valeas quæ prendere dextrâ,
Tunc, cum pampineis proles Semeleia ſertis
Gaudet: & agricolæ fœlix vindemia votis
Reſpondet. Sed quum mediæ jam frigora Brumæ
Hic modo currentes remorentur fluminis undas,
Quumq; humiles cano genitor velamine villas
Veſtiat, & totos gelidâ nive contegat agros,
Anne parum infeſtis hyemalia Mala pruinis
Carpſiſſe, & rigidi ſydus ſpreviſſe Decembris?

Ergo

Ergo ô cui pleno ſuperum indulgentia cornu
Sponte fluit, roſeiſq́ aſpirat Suada *labellis*
Cui Charis Orchomeni *ſaltus, cui* Theſſala Tempe
Deſerit, Aonię *ſumunt cui plectra puellæ*,
Quo nos, & multùm ſacrâ de ſede tonante
Obſtupuere illi, ſub quo jam præſide tutis
Eſſe licet, colloq́ jugum non ferre ſeverum,
Aſpira: faciliſq́ novis allabere cæptis
Dum primum hoc tibi ſurgit opus. tua fama per oras
Heſperias Tarteſſiacis *ubi condit in undis*
Phœbus *equos, & qua* Nabathęo *ſubdita ſceptro*
Arva adverſa premit ſiccis fervoribus, ibit.
Illam non gelidis Boreas *de montibus, aut qui*
Proluit impexos crines incanaq́ menta
Imbre Notus *ſiſtet: ſed enim fluet unda perennis*
Ingenij largæq́ accreſcet gloria venæ
Dum tua perpetuis intexam nomina chartis.
Tantum ô nunc tenuis ne dedignere Camœnæ
Quæ tibi dona damus, quamvis non divite cultu
Nec nitido ſpecioſa ſinu, vel ſyrmate longo,
Hæc tamen Herculeæ *poterunt contendere conchæ*
Si faveas: tu tantùm aures ventoſq́ ſecundos
Largire, utq́ ſuum ſubeant mea lintea portum
Effice, nam magnis placuerunt talia divis.
Mala Venus, *frontemq́ hedera redemitus* Iacchus
Vendicat, hinc teneri blandus moderator amoris
Hinc certat thalamo quæ præſidet uſq́ jugali.
Victor in ambiguo eſt, neſcit cui pareat arbor
Cui ve ferat tantos maturo tempore fructus.
Medica ſunt Veneri *gratiſſima*, Punica *nato*,
Junoniq; *novis præbenda* Cydonia *nuptis.*
Cuncta patri Bromio, Malus *nanq́ illius omnis*
Inventum eſt ſuperas ubicunq́ aſſurgit in auras.

MALA olim mensis bellaria grata secundis
Cum Jove miratus positis Tegeaticus alis,
Rustica cum ingratis vetuit succedere tectis
Turba deos, tamen una dedit vultumq; laremq;
Baucis & hinc sacros tutatur in arbore postes.
Grana nisi Elysii pressisset Punica MALI,
Nata deæ terras matri quæsita per omnes
Non ita nascentis per bis tria cornua Lunæ
Cum genetrice foret, dias inluminis oras
Evecta, & totidem Stygio placitura Tyranno
Iret in amplexus, & solaretur amores.
An referam egregiis quæ sit præstantia MALIS
Et quales tenero lateant sub cortice vires?
MALA Cupidineo quondam medicina furori
Lenibant rapidæ violenta incendia flammæ.
Quod neq; Phillirides Amythaoniusve Melampus
Pæoniæve manus, quod non Phœbeia proles,
Ipse nec herbarum vires qui novit Apollo
Hoc potuit parvis innata potentia MALIS.
Ah miser Hippomene si non tibi MALA fuissent
Aurea, dum medio virgo Scheneia cursu
Antevolat rapidas plantis pernicibus auras,
Quid faceres? quænam herba tuis infixa medullis
Spicula & erueret furiati pectoris æstus?
Quisve tuas unquam flammas sedasset Aconti?
Quis modo difficilem templo juravisse Dianæ
Fecisset placidam per mystica sacra puellam
Si nulla in docto legerentur carmina MALO?
Non ita Tenariæ placuisses Troice Nymphæ,
Mille per insani metuenda pericula Nerei
Immemor Hermiones ut te sequeretur euntem,
Et semper cupidis unum spectaret ocellis:
Ni magni consorte Jovis, quaq; Ægida gestat

Gorgoneis horrendam oculis, spirisq; draconis,
Tosthabitis: flavum Cypris te judice MALVM
Debita victricis meruisset præmia formæ.
Tu neq; dilecti pressisses pastor Amyntæ
Labra tuis, cupidis nec eburnea colla lacertis
Amplexus rapidos narrasses saucius ignes
Aurea ni placito misisses MALA puello.
Et MALO Galatea petit, meli-mela putabis
Si faveat, vel si quid adhuc sit dulcius istis:
Sin tibi difficilis maneat, sint pocula Circes,
Sint Furiæ, vel si quid adhuc sit dirius istis.
Quin & præteritis sanctissima credita seclis
MALA, dolis scelerisq; hominum sibi dira merentum
Præmia solvebant, testis conviva deorum
Inter aquas refugi delusus imagine MALI
Credo equidem hæc carpsit vulso de stipite ramo
Quum per iter cæcum, per opacas frondibus umbras
Vate piâ comite, & Paphiâ præeunte columbâ
Iret in Elysios proles Cythereia campos.
Sæpe sub his viridi prostrati corpora terrâ
Silenusq; pater, Satyrumq; insana Iuventus
Et Berecynthiacâ decorati tempora Pinu
Iunctaq; jam tandem thalamo Pomona jugali,
Et speciosa sinus diffusaq; Flora capillos,
Sæpe sub his nudæ posito velamine Nymphæ
Naiades & Dryades festis jacuere diebus:
Hic videas teneris latos colludere Nymphis
Sylvanos Satyros & cinctos tempora Faunos:
Arcadio faciente modos, saltante Thaliâ,
Helleſpontiaco choreas ducente Priapo.
Quid referam ut cunctis placeant redolentia MALA
Sensibus? ô tacito labentia sydera nutu
Qui regis,, augustâ qui majestate refulges

Quanta per immenſum tua ſplendet gloria mundum!
Nanq; tuum miramur opus, ſeu fertilis annus
Educet Oebalio *variatos ſanguine flores,*
Seu ferat aura roſas Zephyri *blandoq; tepore*
Evocet humentes nocturnis imbribus herbas,
Te Dominum acclamant platani, cedriq; perennes,
Aeriaq; alni, te tenſæ in ſydera quercus,
Te dante eximij tantum natura decoris
Finxit in exiguis miro oblectamine MALIS
Ut modo Carpathium *diverſo* Protea *vultu*
Exſuperent modo ſint uno undiq; tincta colore
Dibapha Sidonię *ſuperatur purpura conchæ*
Pulchra verecundum ſi ſumant MALA *ruborem.*
Ut ſi forte aliâ paſcant in imagine viſum,
Et viridem aſſumant viridi placuiſſe decebit:
Tum tibi finge oculos illum aſpectare colorem
Quem dea (dum ſuaves animæ comitantur euntem
Leniter aſpirat Zephyri *queis mobilis aura)*
Læta oculos, variata genas rutilata capillos,
Flora *per irrigui depingit gramina prati.*
Singula quid memorem? non auro Delphica *laurus*
Clara fuit, non Dodonæ *quæ plurima in umbris*
Creſcit, & in Phrygiis pinus Cybeleia *ſylvis,*
Cætera vulgus iners turba, eſt ea gloria MALIS
Ut neq; flaventi his certent Pactolides *undâ*
Non Tagus, *& ſolis dives ſatis* Hermus *arenis.*
Qualis ab Aſſyrio *ſpirat bene gratus* Amomo
Naribus, & blandi qualem excitat aura Favoni
Thura per, & gratos myrrhæ vernantis honores
Idalio *in nemore, aut quo ſeſe in fonte lavabat*
Terna Dionæam *circumſtans* Gratia *matrem:*
Talis odor picti fragrat de cortice MALI.
Ambroſiâ & dulci ſaturatos nectare divos

Mira-

Mirabar, ſuaviſq́ Hyblæ, *& florentis* Hymetti
Munera, nec læti damnabam dona Lyæi,
Iam Ganymedeæ *quid proſunt pocula dextræ?*
Ambroſiæ aut ſuccus? quid dulcis munera mellis?
Pampineæve uvæ? ſi lauto MALA *palato*
Sufficiant, tactuq́ beent ſervata magiſtrum.
MALA *quis ignorat totos diffuſa per artus*
Febris ubi infeſto vacuas premit igne medullas,
Quid valeant? quali pertentent pectora motu?
Senſit enim olfacti ſit quanta potentia MALI
Magnus Ariſtoteles Stygias *prope raptus ad undas*
Cocytiq́; *lacum, & nigri penetralia* Ditis.
Adde quod hæc nunquã iuvenis, vix munera canus,
Aure vel hauſta puer fugiet: quidnã omnia? pulchris
Non audita prius quam ſint dilecta puellis.
Iam procul expanſis liceat decurrere velis
Quo me Muſa *rapit, iubeor miracula rerum*
Pandere, & hæc priſcis vix unquam credita ſæclis,
Qua licet Aoniis *iam primum intexere chartis.*
Ecquis Achæmeneis *quæ ſint miracula* MALIS
Ignorat? quantumq́ ſuis pendentia ramis
Indigenis noceant? quamvis Germanus *in hortis*
Nutriat ut menſis veniant guſtanda ſecundis.
Fors at Achęmeneis *poterint cõtendere* MALIS
Medica; *ſalvete ò nulli non optima, & una*
Nunc precor æternâ longum florete Iuventâ:
Nam vos, ſeu tepidi ſpiraverit aura Favoni,
Syrius *aut lætas flammis exurat ariſtas,*
Inq́ vicem noctes exæquet Libra *diebus,*
Sive agat iratum Boreæ *inclementia cœlum,*
Tollitis innocuos fœlici pondere ramos.
Toxica vos fugiunt. vos quas vel Theſſala *tellus,*
Vel quas Pontus *habet, vel quas* Aëtias *herbas*

Saga legit fugitis, folijsq́ simillima Lauro,
Ora datis vestris nunquam male olentia Medis.
MALA Gomorrhęis *sileo nascentia in oris*
An refero Eois *ut sint ludibria ventis?*
Non procul hinc quâ fervet aquis, Asphaltus *& atro*
Sulphure subtexit piceâ caligine cœlum
MALA *virent: sed nec gustu laudanda, nec esu*
Quæ tamen eximiæ specioso munere formæ
Spectantumq́ oculos defixaq́ lumina fallant:
Ast ubi tentaris digitis decerpere primis
Protinus in tenues fugiant evanida fumos.
Parce precor raucas jam fastidire Camœnas,
Parce precor, doctis studio decerpta libellis,
Si Paradîsiaci *referam miracula* MALI,
Hortus erat roseo qua se spectabilis ore
Exerit, & claram dispergit in aera lucem
Ille DEUS qui cuncta suis collustrat ocellis,
Metiturq́ & cum tenebris qui dividit annum:
Cui neq́ ventorum rabies, neq́ dura nocebat
Tempestas, demissa polo, non tardior unquam,
Aut Phœbi *solito multum violentior æstus,*
Sed semper molles animæ, sed digna Sabæis
Aura jugis, gratosq́ exhalans mellis odores
Mulcebat Zephyrus *natos sine semine flores.*
Heic pater æternas manibus qui flectit habenas,
Ipse suas curas, suaq́ heic compendia rerum,
Deliciasq́ animi posuit, positumq́ creavit
Regem hominem, & dextrâ jussit frænare potenti
Tam variis fæcunda bònis quod Dædala *tellus*
Educat, intrepidis quicquid secat aera pennis,
Et quodcunq́ vagis Doris *complectitur undis.*
MALA *tamen vetuit medio crescentia in horto*
Carpere, & adjecit decerptis ultima MALIS

Fata

Fata: Sed (ô magnis ſemper comes æmula rebus!)
Vidit, & aſſumptâ ſerpentis imagine, trunco
Arboris inſidens, vetitos decerpere fœtus
Fecit; & admotis hominem guſtare labellis
Contemptor ſuperum Satanas. *Heu fata! quid ultra*
Eſſe rear? tantone aliqua eſt medicina dolori?
Hinc primæva mali labes; hinc tantus odorum
Gratus honor, caſiamq; prius redolentia MALA,
Nunc proſtrata feris præbent delubra leænis.
Pauca tamen primi veſtigia certa decoris
Quadrifiduſq; amnis manet; & vernantia MALA:
In partes quæ ſciſſa ſuas, (mirabile dictu)
In quamcunq; oculos cupies deflectere partem,
(Credite papicolæ) cruci-fixum cum cruce cernes.
Adjiciam ſtomachi contagia dira calentis,
Quæq; ſitim ſedatis; & ægro in ventre dolores
Sanguinei fluxus ſucco cohibetis amico
Punica: quæ blandùm ſemper mitiſſimus aer
Educat, irriguos qua Bętis *dividit agros.*
Adjiciam Heſperio *licet aſſervata dracone*
Alcidæ *direpta manu, rutilantia* MALA.
Alcinoiq; *hortos; & quod de fronte revulſum*
Fœtibus arboreis & odoro flore replebant
Naiades, *egregium cornu: quo divite fluxu*
Copia ſtillabat rerum. Sed plura quid? eho
Siſtite Pierides; *tali iſta ex arbore* MALA
Sit carpſiſſe ſatis: ſtomacho faſtidia multa
MALA *parant lauto quamvis placuere palato*
At tu cui noſtræ gaudent licuiſſe Camœnę
Carmen hiare lyrâ, & pulſis accedere plectris,
Cui cœptum ſuccrevit opus, numeriſq; ſecundis,
Molle fluens paribus ſeſe altùm ſuſtulit alis,
Si vacat; & quamvis te in publica commoda poſcat

Ille cui triplici fulgent diademate crines
Incola Juvernæ *cui pinguia culta venenis*
Libera, nec diris usquam reptata ceraſtis,
Cuiq; Aquilonigenę *ſubmittunt colla* Britannî,
Qua Tameſis *quaq; arva* Taüs *rigat ultima* Thule
Orcades, *& famulas qua volvunt* Hebrides *undas*
Mecum tende chelin. paulum indulgere quieti
Proderit & curis animum laxare ſeveris:
Sic decus Æmathiæ Thetidis *generoſa propago,*
Acrior imbelli poſitâ teſtudine campis
Inſedit, Phrygiaq; *hoſti præluſit arena.*
Sic modo Piſeæ *decoratus munere palmæ*
Lavit equos; ſic ſæpe arcum pharetraſq; retendit
Parthus, *&* Armenias *non vexant ſpicula tigres.*
Ipſe quoq; hunc curſu qui præterit omnia ſolem
Proſpicis, occiduis feſſum ſe condere in undis.
Quod ſupereſt paulum temet furare labori,
Inq; tuo noſtras gremio requieſcere Muſas
Ipſe jube: nec enim hæc ut poſſint Mala *nocere*
At dimus ut placeant, brevibus circundata gyris
Sint licet, at longo procedunt libera tractu
Ipſe vides, breviora ferat vel Biſtonis *ora*
Pontica *vel tellus, tu munera longa clientis*
Accipias: ſtomacho quia plus Mala *curta nocerent*
Quam Mala *in plenis longiſſima mille caniſtris.*

Tri-vni DEO gloria.

EIVSDEM

IN SERENISS. D. N. JACOBI M. B. F. & H. REGIS LAUDEM, IN *signem SS. Theol. Doctoratus titulum, pene* temporum injuriâ obliteratum, in viridem *observantiam revocantis: ac in Doctissimos quosdam viros, non ita pridem conferentis*

EPIGRAMMA.

EQuid *Hyperboreæ* torpens modo frigore brumę
Grampius, erectis provocat astra comis?
Quid *Taus* exultat quid *Glotta* quid *Esca* superbit
Donaq; gemmiferis qui subit æquor aquis?
Scilicet *Arctoæ* positos sub finibus *Ursæ*
Prætulit *Aonio* præses *Apollo* solo.
Scilicet heic meritas sua tollit gloria *Musas*,
Gloria non ullâ deperitura die.
Tu facis hoc cui perpetuo comes addita virtus,
Cui decus, & pietas, cum pietate fides,
Tu facis hoc REX magne, novi nova gloria sæcli:
Præside quo *Ausonium* non timet agna lupum:
Sub quo tot tantos tulit uno SCOTIA partu,
Doctrinâ, ingenio, relligione pares.
Sub quo tot tanti merito decorantur honore,
Doctrinâ, ingenio, relligione pares.
Fœlices nimium tanto sub Principe nati!
Et fœlix tantis REX JACOBE viris!

JOANNI LEOCHAEO,

Calendis Ianuarij *MALA* ſua foras prodire jubenti.

Unde precor gelidæ concreto in frigore Brumæ,
MALA *tibi hæc nullis commaculata* malis?
Haud facile eſt JANI *dare tot bona* MALA *calendis.*
Quum ſit ſylva ſuas undiq; tonſa comas.
Ni tibi ſit (quod & eſſe reor) de divite vena
MALUS Apolliniæ *quam rigat hauſtus aquæ.*
Quo pede nunc, hoc ſemper eas LEOCHAEE *ſuper ſint*
Dum tua MALA *bonis, ſint* mala *multa* malis,

JOANNES UEMIUS, SS. Theol.
Studioſus, in Acad. Andreana.